



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure  
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu  
Tractatus Canonico-Civilis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadium, 1709**

§. I. Quinam ad Cameram Imperialem & Concilium Imper. Jurisdictioni  
Cameræ Imperialis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

bitratorem compromittere. Nam ratio solùm datur, quòd Arbitramentum à Transactione nihil aut parùm differat. Cùm igitur Transactio circa feudum valeat, si non agitur de alienatione aliòve Domini præjudicio, consequens est, idem dicendum esse de Arbitramento.

## CAPUT IV.

De Causis ad Camera Imperialem & Concilium Imper. Aulicum pertinentibus.

### §. I.

*Quinam ratione Personæ immediatè subsint Jurisdictioni Camerae Imperialis.*

#### SUMMARIUM.

705. Camerae Imperialis Jurisdictio fundata est vel ratione Personæ, vel ratione Causæ.
706. Conveniuntur in illa Personæ Camerales.
707. Commissarijs Camerae injuriam passis datur ibidem actio.
708. Nec non ejus Procuratoribus, Advocatis, & Executoribus, ratione salariorum & sumptuum.
709. Convenitur in Camera reus, qui domicilium habet sub jurisdictione litigiosâ inter Dominos immediatè subiectos Imperio.
710. In eadem conveniunt Status Imperij suos subditos.
711. Banniti & Proscripti, qui privilegium fori habuerunt, ibidem conveniuntur.
712. Nec non illi, qui ejusdem jurisdictioni sponte se subjiunt.
713. Ac Status Imperij frustra contra grassantes milites implorati. Item Circuli Imperij membra alterius Circuli ad se trahentes.
714. Denique omnes, qui Imperio immediatè sunt subiecti, nisi exemptione gaudeant vel de Jure Imperij, vel consuetudine, vel speciali privilegio.

705. Quamvis Jurisdictio Camerae Imperialis, tanquam summi in S. R. Imperio Tribunalis, maxima sit ac latissime pateat, non tamen sub illa, uti notorium est, omnes omnium generum lites disceptandi potestas comprehenditur. Ac idcirco Reus ibidem conventus non semper respondere tenetur, sed incompetentiam fori opponendo eam tanquam forum incompetens declinare potest. Licet autem quævis causa & promiscue non pertineat ad Camera in prima instantia, sed demum per viam appellationis ad eam devolvatur: sunt tamen non paucæ, in quibus Camera per modum simplicis querelæ, ut ait Gail. *lib. 1. obser. 1. n. 1.* in prima instantia adiri potest, quæ partim in Ordinatione Camerali expressæ sunt, partim stylo illius Judicij hæctenus observatæ. Sunt præterea multæ personæ, quæ immediatè in illa conveniuntur.

706. Fundata itaque Jurisdictio Camerae est tam ratione Personarum, quàm ratione Causarum. De Personis *hoc §. agam, de Causis §. seq.* Ratione Personarum fundatur I. si persona Cameralis convenienda est, quales sunt non solum Judex, Præfides, Assessores, Advocati, Procuratores, & reliqui eidem Camerae juramento adstricti, quamdiu functionibus Camerae sunt addicti & ad aliam jurisdictionem non transeunt: sed etiam ipsorum uxores, liberi, scribæ, & reliquum famulitium. *O. C. p. 1. tit. 63. prim. R. J. anno 1654. §. 141.* Quin & eorum viduæ cum suis liberis & reliqua familia, quamdiu ad secunda vota non transeunt, aut aliter alteri cuidam jurisdictioni se non subdunt. *cit. §. 141.* Nec non Praxis Cameralis studiosi (quos Practicantes dicunt) si in Matriculam Camerae sunt recepti. *Mynsing. cent. 5. obs. 52. n. 2.* Et litigantes, eorumque sollicitatores, quando in loco Camerae præsentés, ibique duntaxat ad suam ac principalium suorum litem promovendam commorantur. Non tamen vel litigantes vel ipsorum sollicitatores conveniri quacunque actione apud Camera possunt, sed duntaxat, si apud Judicium Camerale commorantes contraxerint, aut deliquerint, & tempore instituendæ actionis

nis ex contractu vel delicto ortæ ibidem inveniuntur, uti patet ex ijs, quæ dixi suprâ de Foro Delicti & Contractûs. Quoad reliquas causas & actiones jus revocandi domum habent. Mynsing. l. c. n. 3. Blumen de Process. Camer. tit. 26. n. 6. § 7. Quoad Principes, Comites, aliósque, qui privilegio Austregarum gaudent, distinguendum videtur cum eod. Blumen l. c. n. 15. ac dicendum, eos immediatè conveniri posse coram Camera actione, quæ oritur ratione officij, ijsque tanquam Personis Cameralibus intentatur; reliquas verò causas iudicio Austregarum decidendas esse.

707. II. Si quis Commissario à Camera dato, durante commissione tanquam Commissario, injuriam inferat, processus in Camera decernitur contra injuriantem: quia injuria Camerae illata censetur. Gylman. V. Injuria §. sed quid.

708. III. Pars litigans ratione residui salarii ab Advocato aut Procuratore Camerae convenitur in Camera. O. C. p. 1. tit. 46. §. 10. Gaill. cit. obser. 1. n. 37. & obs. 44. n. 5. Matth. Stephani lib. 2. de Jurisd. p. 1. c. 3. n. 73. Et quidem juxta praxin sive litigans immediatè sit subjectus sive mediatè, sive absens sit à loco Camerae sive præsens: de quo fusè Blumen l. c. à n. 18. & tit. 34. à n. 249. Dixi ab Advocato aut Procuratore Camerae. Nam Advocati & Procuratores extranei suos Clientes, quibus in Camera inserviunt, non coram eadem, sed coram Judice ipsorum ordinario, conveniunt. Par est ratio de Commissarijs à Camera datis: nam & isti litigantem, qui commissionem impetravit, ratione salarii indistinctè coram Camera conveniunt. Gaill. cit. n. 37. Par quoque de Executoribus in Camera datis: nam etiam isti ratione sumptuum in executionem factorum convenire coram eadem possunt eos, in quos executio facta est. O. C. p. 2. tit. 17.

709. IV. Convenitur in Camera reus, qui domicilium habet sub jurisdictione inter dominos Imperio immediatè subjectos litigiosâ: si quidem dubia & litigiosa sit ipsa possessio. Tunc enim neuter Judex esse potest, ac propterea proximè superior Judex,

Y yy

qui

qui in tali casu est Camera, adeundus erit, ut patebit ex dicendis §. seq. Quia verò causa criminalis, poenam corporis afflictivam persequens, ad Camera non pertinet, ut postea dicitur, idcirco pendente illo litigio super possessione jurisdictionis, litigantes domini sequestrum eligere possunt, qui reum capiat, & pro qualitate delicti puniat, aut si super hoc inter se non conveniant, Camera ad implorationem partis læsæ aliquem deputare potest. Gylman. *V. Jurisdictio §. ult. Blumen cit. tit. 26. n. 22. § 23.*

710. V. Si Princeps aliúsve Imperij Status subditum sibi immediatè subjectum, aut civitatem municipalem seu immediatè sibi subjectam convenire velit, id coram Camera facere tenetur, ut dixi suprà n. 349. Et quamvis Princeps civem seu subditum suæ municipalis Civitatis convenire possit coram Magistratu illius Civitatis tanquam ordinario illius subditi Judice, recusari tamen à Reo Judex iste potest tanquam suspectus, cùm periculum sit, ne Magistratus timore vel amore sui Principis à recti tramite deviet. Unde nisi Reus in suum illum Magistratum consentiat, àdeunda contra ipsum Camera erit: quia Judicem, qui adversarij mei subditus est, tanquam suspectum recusare possum. Panor. & commun. DD. in C. *Accedens* 1. *Ut lite non contest.* Maranta in *Specul. p. 6. rubr. de Appellat. n. 40.*

711. VI. Reus bannitus ac regalibus & beneficijs Juris communis privatus, cùm omnia privilegia amittat *L. Is qui reus ff. de Publ. Judic.* ac consequenter etiam privilegium fori, conveniendus est in Camera Imperiali. Gaill. *lib. 1. obs. 1. n. 38.* Hinc si privilegio Austregarum gaudens proscribatur, non potest nominare Judices, de quibus dixi suprà n. 342. § seqq. ac per consequens ipsius causa immediatè in Camera recipitur. Mynsing. *cent. 1. obser. 90.* Nisi causa esset talis, quæ in illa tractari non solet, uti est Matrimonialis, Criminalis, Feudalis &c. de quibus postea: quia tunc Ordinarius hujusmodi causarum Judex adeundus erit, utpote qui per bannum in proscriptum suâ jurisdictione non privatur. Eadem est ratio de alijs & perpetuis Magistratibus, seu  
ijs,

ius, qui sunt proscriptorum Judices de Jure communi & non ex privilegio. Mynsing. *l. c. in fine*, Blumen *l. c. n. 25*.

712. VII. Conveniri immediatè in Camera potest, qui suo foro renuntiat, sèque Jurisdictioni Camerali subjicit. Gaill *l. c. n. 29*. cum quilibet favori pro se introducto renuntiare possit, *L. 29. C. de Pact.* & Judici non suo jurisdictionem in se prorogare, juxta dicta suprà à *n. 438*. exceptis causis, quas enarravi *n. 450*. § *seqq.* Quandonam verò ad hanc prorogationem requiratur consensus proprii Judicis, dixi *n. 431*. § *seqq.* Fit autem hæc renuntiatio proprii Fori vel tacitè, si nimirum conventus in Camera privilegium fori non opponit; vel per compromissum aut aliam conventionem, juxta dicta suprà à *n. 418*. Caterum notant hïc Mynsing. *cent. 1. obs. 88*. & Gylm. *V. Renuntiatio §. 1*. renuntiationem, quæ fit per conventionem, debere esse specialem, videlicet ut quis in specie suo foro renuntiet, sive exprimat, ubi conveniri velit: neque enim fundari jurisdictionem per generalem renuntiationem, quâ dicit Reus, posse adversarium coram quocunque Tribunali agere, das Kläger Jhn vor allen Gerichten fürnehmen möge. Et ita in Camera decisum esse refert Mynsing. *l. c.* eò quòd illa generalis renuntiatio solùm intelligenda sit de Judicij competentibus. Videantur ea, quæ dixi suprà *n. 192*. Quin si quis expressè promississet, se in Camera responsurum, at solùm extra judicium & privatâ tantùm scripturâ, posset nihilominus poenitere & ad Judicem competentem provocare, uti in Camera decisum esse & observari asserunt Mynsing. *l. c.* & Magenh. *ad Ord. Cam. p. 2. tit. 1. §. fin.*

713. VIII. Si Status Imperij imploratus contra milites in ipsius territorio grassantes auxilium implorantibus non tulerit, possunt, qui frustra eum implorârunt, in Camera eundem convenire ratione damni illati. Landfr. *anno 1548. art. 24*. & sequitur ex dictis *n. 343*. Idemque tenendum est, si unus Circulus Imperij in suum Circulum alterius Circuli Status pertrahat. *R. J. a. 1548. §. 49*. Ac universim si unus Immediatus alium Immediatum ab

Y yy 2

imme-

immediata subjectione avellere & in suam jurisdictionem pertrahere conetur. cit. R. J. §. 54. & 61. Quando nam verò Status Imperij S. R. aliique Imperio immediatè subjecti conveniri in Camera possint, & quando ab his ij, qui Imperio mediatè subjecti sunt, patet ex dictis suprà 347. & seqq. Quibus hic addendum est, quod Blumen *Process. Cam. tit. 26. n. 46.* contra Gaillium fusè ostendit, Capitulum Cathedrale Sede vacante Imperij Statum esse, quatenus repræsentedat Episcopum, ac proinde jure repræsentedationis privilegio Austregarum gaudere.

714. IX. Universim omnes & singuli Imperio ac Cæsareæ Jurisdictioni immediatè subjecti habent in Camera forum competens: nisi ab ejus jurisdictione sint exempti aut per legitimam consuetudinem, O. C. p. 2. tit. 30. V. *Rechtmäßige Gewohnheiten*; aut per immunitatem ac specialia privilegia, cit. tit. 30. V. *Freyheiten / & V. Privilegia*, quale privilegium quoad primam instantiam concessum esse non paucis Civitatibus Imperialibus, dictum est suprà n. 348. vel gaudeant Austregis, iisque vel Ordinationis Cameralis, cit. tit. 30. V. *Sondere Austräg /* vel Conventionalibus, cit. tit. 30. V. *Gewillkühre /* de quibus fusè suprà à n. 338.

## §. II.

*Qua Causa ad Cameram Imperialem  
pertineant.*

## SUMMARIUM.

715. *Ad Cameram Imper. pertinet causa violatæ Pacis Religiosæ.*  
 716. *Et publicæ prophanæ.*  
 717. *Causæ quoque Fiscales.*  
 718. *Possessionis litigiosæ.*  
 719. *Pignorationum.*  
 720. *Arrestorum.*